



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

141. An irregulares sint incapaces obtinendi beneficium, & pensiones? Et
an ad obtinendam pensionem sufficiat septennium? Et an
excommunicatus sit capax, vel incapax pensionis? Et quid, si pensiones ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Ref. 31. §. Sed par. 2. lib. 8. num. 48. Escobar in Theologal. Moral. tom. 2. quid. & intro. sect. 1. probl. 2. numero 91. & probl. 46. numero 214. Gibalinum de irregular. cap. 2. quest. 3. part. 4. num. 10. licet ego supradictis Doctoribus non assentiar; vide Baunium in praxi de beneficiis disp. 1. 1. quest. 9. assertio- ne 4. & ultima. Verum si aliquis hic obiter quærat, an si in casu nostro Titius noller restituere fructus male perceptos, teneatur in defectum restituere, illos medi- ator, per quem Titio collatum fuit beneficium; li- bet respondere cum verbis Baunij in praxi Beneficio- rum disputat. 16. dub. 9. Dico igitur, An mediatoribus sit imperanda restitutio, peræque ac Simoniaci? Summisæ ambigunt: Inclinant in affirmantem Na- varr. conf. 110. de Simon. & tract. de datis & premiss. numero 45. Thesaurus in praxi verb. Simonia cap. 2. non tamen nisi secundo loco, & in defectum principalis causæ.

12. Addit Quaranta etiam confessarium remanere ad id obligatum, & quidem legitime, si absolvendo poenitentem, ei causa fuerit, non restituendi, quod non puto, quia ejus bonum, qui a suo est poenitente læsus, procurare ex iustitia non tenetur. Quod simili- ter Sà correctus, verb. Simonia numero 11. existimat, & proinde mediatori, in defectum causæ principalis fructuum, aut alterius cuiuspiam interesse, (ut lo- quuntur) restitutionem jubendam non esse, quæ sententia etsi videatur isti Auctori probabilis, præstat tamen dispensationem, & compositionem à Pontifi- ce petere, quàm periculo peccandi se exponere, ait Baunius.

RESOL. CXXXIX.

An collatio beneficij facta irregulari sit irrita & invali- da ipso jure ante judicis sententiam? Ex p. 4. tract. 2. Ref. 79.

Sup. hoc in Ref. præteri- ta §. Dico se- cundo. & in Ref. seq. & in Ref. 1. post Ref. §. 1.

§. 1. **A**ffirmative respondent communiter Docto- res, ut Suarez de censur. disp. 40. sect. 2. nu- mero 30. 36. & 41. Sayrus lib. 6. cap. 2. numero 21. Avila part. 7. disp. 2. dub. 6. & alij penes ipsos, quia beneficium datur propter officium, sive propter exer- citium Ordinis, ergo qui per irregularitatem non potest Ordines exercere, incapax est beneficij, ita ut ejus collatio irrita sit, non minus ac si daretur pu- ræ secularibus Ordinibus carentibus, & ita hanc sen- tentiam novissime docuit etiam Turrianus de censur. lib. 2. disp. 58. dub. 2.

2. Sed contrariam opinionem Sylvestri ver. excom- municatio, num. 4. probabilem esse puto. Dico igitur collationem beneficij facta irregulari validam esse, & ideo talis solum indiget dispensatione super irre- gularitate, non tamen nova collatione beneficij, unde potest fructus suos facere in conscientia; & ratio est, quia sicut irregularis potest retinere beneficium quod ante irregularitatem obtinuerat, ergo etiam po- test retinere beneficium quod impetravit post irre- gularitatem incursum, quia in utroque casu militat eadem ratio privationis exercitij Ordinis; & ad ar- gumentum factum pro sententia communi respon- deri potest negando consequentiam, & rationem discriminis optime adducit Petrus Cornejo in 3. par. D. Thom. tract. 5. de irregular. disputat. 5. dub. 2. quest. 1. ubi docet hanc Sylvestri sententiam esse satis pro- babilem.

RESOL. CXL.

An irregularitas reddat aliquem inhabilem ab beneficio obtinendum, & ad fructus percipiendos?
Et an obtenta dispensatione ab irregularitate, beneficium non possit obtineri sine nova collatione, seu revalida- tione collationis prius factæ?
Et an valeat collatio Prælati Regularis facta irre- gulari?
Et aliqua alia explanantur in §. ultimo hujus Resolutionis. Exp 4. tr. 2. Ref. 37.

§. 1. **A**ffirmative respondet Villalobos tom. 1. tra- ct. 2. diff. 2. n. 12. Lessius lib. 2. cap. 3. §. 1. dub. 2. 2. num. 120. Avila part. 7. disputat. 2. dub. 6. concl. 3. in lib. Navar. cap. 27. n. 351. Sayrus lib. 6. cap. 2. n. 2. Covarr. in benef. in cap. alma mater, part. 1. §. 7. n. 1. Henric. lib. 4. cap. 2. n. 7. in gloss. lit. C. & alij penes ipsos, asserentes irregula- ritatem reddere hominem inhabilem ad obtinendum beneficium, & ideo irregularem non posse tota con- scientia beneficium retinere, vel fructus ex eo perce- ptos. Imò obtenta dispensatione ab irregularitate be- neficium non potest retineri sine nova collatione, seu revalidatione collationis prius factæ, & adducunt pro hac firmanda sententia cap. 2. de Clerico non ordi- nato ministrante, cap. 2. de Clericis pugnantibus, cap. dudum de electione, cap. cum bona, de astate ordin. & se- cundum hanc opinionem non valet collatio Prælati- ræ Regularis facta irregulari.

2. Sed ego contrariam sententiam probabilem etiam esse teneo cum Turriano de cens. lib. 7. disp. 58. dub. 2. Suarez disp. 40. sect. 2. num. 35. Hurtado disp. 1. de irregular. diff. 20. num. 21. Præpos. in 3. par. quest. 5. de irreg. dub. 3. n. 18. Coninch disp. 18. dub. 1. n. 6. qui tres ultimi respondent ad Canones supradictos. Igi- tur secundum hanc sententiam certum est peccare mortaliter irregularem acceptando beneficium in ir- regularitate, & similiter retinendo; valet tamen collatio beneficij, & potest facere fructus suos, neque tenetur eos restituere etiam si per iudicem beneficio privaretur. Item potest valide resignare beneficium, antequam eo privetur. Item potest impetrata dis- pensatione irregularitatis, potest, inquam, quis licite beneficium retinere absque alia habilitatione, vel no- va collatione. Potest etiam valide exercere omnes actus competentes ratione beneficij, imò & licite, si non sint actus Ordinis, & saltem non sit in mora pe- tendi dispensationem. Hinc valide eligit, præsentat, confert beneficia, jurisdictionem, potestatem exci- piendi confessiones, ministrandi Sacramenta, benedi- cendi sponsis, &c. Hæc omnia Præpos. loc. cit. & ideo hanc sententiam absolute tenet Sylvestri ver. excommunicatio 4. num. 4. & Plovius de irregular. 44. num. 39. & 40. Verum his non obstantibus tu ne re- cedas à prima opinione affirmativa, tanquam tutiori in praxi, ut observat Suarez, Coninch & Turrianus locis citatis.

RESOL. CXLI.

An irregularis sint incapaces obinendi beneficium, & pensiones?
Et an ad obinendam pensionem sufficiat septennium?
Et an excommunicatus sit capax, vel incapax pen- sionis?
Et quid, si pensiones sint perpetuæ, & data in titulum be- neficij, & Præsimoniæ?

Et aliqua alia cursum explanantur circa collationem beneficii factam irregulari, &c. Ex p. 7. tr. 12. & Misc. 3. Ref. 7. alias 5.

Quoad primum, sic respondet Caspensis in *Curs. Theolog. tom. 2. tract. 25. disp. 5. sect. 3. num. 23*. Est difficultas an per irregularitatem fiat irregularis incapax beneficii, & ad fructus percipiendi. Affirmant graves Doctores Navarr. *cap. 27. n. 351*. Avila *disp. 2. dub. 6*. Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 22*. & est communior sententia, quam probare nituntur ex variis iuribus. Sed certe nullum jus invenitur in quo talis pena decernatur, neque adduci potest. Qua propter opposita sententia satis probabilis est, scilicet peccare lethaliter irregularem acceptando beneficium in irregularitate, & retinendo illud, posse tamen facere fructus suos, nec teneri eos restituere; posseque impetrare dispensationem irregularitatis, & ea obtenta licite beneficium retinere absque alia habilitatione, vel nova collatione, & hanc sententiam judicant probabilem Suarez *disp. 40. sect. 2*. Hurt. *diff. 20*. & Agidius *disp. 18. dub. 1*. & stando in hac sententia infertur ex illa collationem beneficii factam irregulari, quamvis illicitam, & irritandam utpotè prohibitam; validam tamen esse, & nullo modo irritam: & ita juxta illam irregularis & valide recipit beneficium, & fructus facit suos, si faciat ministerium requisitum per beneficium. Neque obstat, quòd beneficium datur propter officium, sive propter exercitium Ordinis; ergo qui per irregularitatem non poterit Ordines exercere, incapax est, ut ei beneficium conferatur; ac proinde invalida erit collatio. Respondetur negando consequentiam, quia irregularitas non reddit irregularem omnino inhabilem ad ministerium Ordinis, sed solum reddit eum impeditum ad licitum exercitium illius, & consequenter tantum reddit illum impeditum ad licitam receptionem beneficii, non tamen ad validam. Hucusque Caspensis. Et hanc sententiam me citato tanquam probabilem admittit Machadus de *Perfecto Conss. tom. 1. lib. 1. part. 3. tract. 15. docum. 2. num. 5*. & Coninch de *Sacram. disp. 18. dub. 1. num. 6*.

2. Sed si quis vellet stare in affirmativa sententia quòd irregularis sit incapax beneficii videndum est an etiam sit incapax pensionis? Et affirmativam sententiam tradit Navarrus. Quæ quidem omnia docet Castus Palas *tom. 2. tract. 13. disp. 1. punct. 11. §. 3. n. 8*. Nam irregularis est incapax beneficii, sed pensio non est beneficium, ergo. Et ideo, Primò asserunt aliqui ad obtinendam pensionem sufficere septennium, quia Concilium Tridentinum *sess. 23. de reform. cap. 6*. mentionem facit de beneficiis. Ergo non est extendendum ad pensiones. Et ita docet Gratianus *tom. 1. disp. 1. forens. c. 397. n. 17*. & *segg. Lessius lib. 2. c. 34. dub. 38. n. 203*. Zechius de *benefic. & pensionib. cap. 1. n. 7. in princ.* Moscovius de *majest. milit. Eccl. lib. 1. p. 3. cap. 3. pag. 501*. Aloys. Rice. in *praxi dec. 430. in prima edit. & resolut. 367. in 2*. Secundò docet Gonzalez in *regul. Cancell. Glossa 5. §. 5. numero 16*. quòd inhabilitatus ad beneficia non censetur inhabilitatus ad pensiones, quia pensio non comprehenditur sub nomine beneficii.

3. An verò excommunicatus sit capax, vel incapax pensionis disputat etiam Caspensis *ubi supra disp. 2. sect. 7. n. 74* ubi me citato sic asserit. An excommunicatus sit etiam inhabilis ad recipiendas pensiones affirmativè respondit Villalobos in *summa tom. 1. tract. 17. diff. 9*. & ita tenet Gigas *quæst. 14*. Covarruv. in *cap. Alma mater*. §. 7. quia sunt redditus Ecclesiastici, & ita aiont esse in usu Curia Romanæ præmittentis absolutionem ab excommunicatione est, quamvis pensiones dantur. Dicendum tamen est, quamvis ex-

Tom. V.

communicatus sit privatus beneficio, non tamen privari pensionem, ac proinde consignationem illius factam excommunicatio validam esse. Ita Turrianus, Valquez, Enriquez Layman, Cornejo, Avila, & Præpositus, v. in *Ref. 1*. quos refert & sequitur Diana *supra resolut. 103*. quia not. p. 1. nullibi invenitur in jure, quòd concessio pensionis facta excommunicato sit irrita, nec id sequitur ex eo quòd excommunicatus sit incapax beneficii, quia pensio non est beneficium; cum in illa non sit jus perpetuum ad fructus, quòd requiritur ad rationem beneficii. Excipe pensiones perpetuas datas in titulum beneficii, & præstimoniam. Ita Caspensis.

4. Sed ut verum fatear omnia supradicta, video esse contra stylum Curia prædictum in Dataria & Cancellaria, in quibus incapax beneficii est etiam incapax pensionis, ideo tu cogita. Vnde ea quæ olim scripsi intelligenda esse nunc volo seculo stylo Romanæ Curia; & Praxi Dataria.

RESOL. CXLII.

An Beneficiarius incidens in irregularitatem ex delicto possit beneficium renunciare in favorem tertij?

Et supponitur, quòd Beneficiarius incidens in irregularitatem ex delicto possit retinere beneficium, dum per sententiam non privatur, sed debet tamen procurare dispensationem, & interim per alium coadjutorem satisfacere in actionibus, quæ ratione irregularitatis illi sunt prohibita. Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. Ref. 25. alias 24.

Suppono, quòd beneficiarius incidens in irregularitatem ex delicto, etsi possit retinere beneficium, dum per sententiam non privatur; debet tamen procurare dispensationem, & interim beneficii munerem vel per alium satisfacere in iis actionibus, quæ ratione irregularitatis illi sunt prohibita. Assumere enim coadjutorem pro aliquo tempore ex causa adeò gravi, neque est contra iustitiam, neque illicitum, ut notat Suar. *diff. disp. 44. sect. 4. n. 19*. consentit Navarr. *lib. 5. cons. 17. de homicidio*. Cordub. in *summ. q. 41. & lib. 1. q. 99. quæst. 36*. Avila *7. part. disp. 2. dub. 6. vers. Hinc sequitur*, ubi explicat Felinum dicentem, tuta conscientia non posse retinere beneficium, cui est ordo sacer annexus, si ipse propter crimen illud exercere ordinem non potest, at intelligitur, si est in mora petendi dispensationem, vel desperatus est ad dispensationem brevi tempore obtinendam. Bonacin. *disp. 7. part. 4. num. 10*. Coninch *disp. 17. dub. 1. num. 5*. Paul. Layman *lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 1. coroll. 2*. Gaspar Hurtado de *irreg. diff. 5. num. 21*. & alij. Vnde ex his inferitur, irregularitatem supervenientem Clerico Beneficiario, non privare ipsum fructibus beneficii, neque privandum esse per sententiam, si munera, quæ ratione beneficii tenebatur exercere, per se, vel per alium exercuit, siquidem beneficii titulum retinet, & jus habet percipiendi illius fructus, posito muneris exercitio, sicuti aliis relatis docuit Suarez. Layman, & Coninch, *ubi supra*.

2. His suppositis de hoc casu interrogatus respondi affirmativè: dico igitur, quòd ligatus irregularitate ex delicto, si nolit, vel non possit impetrare dispensationem, possit renunciare beneficium in favorem tertij, ac si nullam irregularitatem contraxisset, etiam pendente lite, & accusatione facta de irregularitate; quia usquequo accedat sententia, & condemnator, retinet jus in beneficium, uti docuerunt Panormit. in *cap. nisi cum pridem*, num. 1. de *renunciat.* Felin. in *cap. inquisitionis*, col. 3. de *accusationibus*, Ludovic. Com. in *regula de annali possess. quæst. 42. num. 3*. Sayrus *lib. 6. cap. 2. num. 14*. Suarez *disp. 40*

A 2

sect. 2

Sup. hoc, quòd hic supponitur in to. 4. tr. 8. ref. 43. §. ult. & in to. 7. tr. 7. Ref. 59. §. Verum licet, cursum in fin. & in Ref. not. seq. §. Dico secundò, in fin. & vers. quæres, an irregu- laris.

Sup. hoc sup. in Ref. 138. §. Tertio poterit, & in aliis vers. ejus not.